

liter applicatio potentiae non nisi per modum transeuntis datur, quamdiu scilicet durat ipsa cognitio, et ideo ad hoc necessaria est motio per modum transeuntis.

Ad ultimam respondebitur tractando de gratia cooperante, et gratia efficaci.

ARTICULUS II.

Quid sit gratia cooperans, et adjuvans, in gratia actuali?

I. Omitto etiam hic gratiam cooperantem ut pertinet ad gratiam habitualement, quia sic non est aliud, quam ipsa gratia habitualis ut est principium operandi activum, sed loquimur de gratia cooperante ut pertinet ad lineam gratiae actualis, sicut locuti sumus de operante articulo praecedenti.

II. In hac re multipliciter divisi sunt auctores. Quidam putant gratiam cooperantem, et operantem eandem esse, solum diverso modo consideratam, nam quatenus antecedit nostrum consensum, est praeveniens et operans, quatenus vero in nobis permanens efficit consensum liberum dicitur cooperans et concomitans, nam ita consensus noster est a Deo, quod non solum influit ut causa physica, sed etiam ut causa moralis media cogitatione, et modo quo intellectus allicit voluntatem, et per hanc cogitationem quatenus tendit in consensum Deus cooperatur nobiscum, et sic habet rationem distincti beneficii, et novae gratiae, ut respicit novum effectum qui est consensus, sed non est distincta entitas auxilii. Ita Vazquez in hac prima secundae, disp. CLXXXV, cap. IX. Quae sententia etiam solet attribui Molinae in concordia, quaest. XIV, articulo III, praesertim a disputatione XXXVI. Sed tamen Molina disp.

XL, adhuc latiori significatione sumit gratiam operantem, et cooperantem, ut vidimus articulo praecedenti. Sumit enim istam divisionem gratiae per ordinem ad meritum, id est, quod gratia illa sit operans quae antecedit illum actum meritorium, cooperans vero quae ad meritorium actum concurrat, et sequitur post justificationem. Et ex parte consentit huic sententiae Molinae Suarez libro III de auxiliis, cap. V, num IX, ubi inquit, quod aliqui actus specialiter tribuuntur gratiae operanti, alii cooperanti, quia illi qui antecedunt infusionem habitus gratiae, et ad illam disponunt, dicuntur esse a gratia operante, qui vero eliciuntur ab ipsis habitibus dicuntur esse a gratia cooperante, quia magis reluctet gratia operans quando aliquis non habet habitum, et exponitur ad illum; e contra vero magis reluctet gratia cooperans quando in infuso habitu influit in actus.

III. Secundo Bellarminus in libro primo de gratia et libero arbitrio, cap. XIV, quem sequitur Valentia 1-2, disp. VIII, q. III, puncto V, dixerunt auxilium cooperans esse auxilium speciale respectu illorum actuum qui sequuntur post primum, nam primum actum dicunt pertinere ad gratiam operantem, qua aliquis non se movet, sed movetur a Deo, ad gratiam vero cooperantem pertinet quod voluntas etiam moveat: distinguunt tamen inter movere physice et moraliter, et dicunt Deum non esse causam moventem physice sine nobis, atque adeo in motione physica voluntatis cooperantem gratiam inveniri, esse tamen Deum causam moralem, allicientem, et suadentem sine voluntate, quia voluntas, et si libere eliciat actum, non tamen moraliter se movet ad illum, quia non sibi persuadet, nec allicit, sed ab objecto allicitur, et sic ad primum actum

datur gratia operans, quia in primo actu voluntas non se allicit, nec impellit, postquam vero attracta est ab objecto, ipsa se incitat ad reliquos actus.

IV. Tertio, Suarez libro III de auxiliis, cap. IV, non audet definire difficultatem, sed probabiles iudicat quatuor modos dicendi, scilicet quod gratia adjuvans sit habitus qui infunditur ad actus supernaturales: vel secundo, quod sit qualitas supplens vicem habitus dummodo determinet potentiam ad exercitium actus, sed non ad speciem, et sic est habitus quasi in fieri: vel tertio, quod sit eadem gratia excitans et adjuvans, sed ut moraliter movet est gratia excitans, ut autem physice cooperatur cum libero arbitrio, dicitur adjuvans: vel quarto, quod gratia adjuvans est ipse Deus sua efficacitate, et voluntate supplens efficaciam habitus: vel ut aliqui dicunt, gratia cooperans est ipse consensus liber, prout pendens a Deo, quod sentit Montesinos hic disp. XXXI, quaest. II, §. VI, in principio. Advertit autem Suarez citato loco, cap. V, num. III et VIII, gratiam excitantem, et adjuvantem coincidere cum operante, et cooperante.

V. Omnes istae sententiae in hoc conveniunt, quod distinguunt gratiam operantem, et cooperantem in ratione auxilii moralis, in quo genere Deus dicitur gratiam operantem tribuere, quando se solo movet moraliter mediante propositione objecti interius facta, alliciente et retrahendo voluntatem; tribuit autem gratiam cooperantem quando viam parat ad ea, ad quae moraliter movet, et executioni mandantur, dando facultatem et vires, aut etiam concursum physicum generalem in actum, qui etiam adjuvat, et cooperatur: nam in genere physico solum consensum concomitantem, et

in ipsum actum influentem agnoscunt, ratione cuius, quia iste concursus identificatur cum actu, dicunt aliqui ex istis auctoribus auxilium cooperans esse ipsum actum liberum.

VI. Ex his autem, qui hanc divisionem in gratiam operantem, et cooperantem, etiam ex parte physicae motionis, et auxilii admittunt, est duplex etiam sententia. Prima eorum, qui sentiunt gratiam cooperantem nihil aliud esse, quam ipsum motum subitum, et indeliberatum, mediante quo Deus movet voluntatem ad consensum liberum, ita Curiel hic tractatu de gratia actuali, dub. II, §. VI, et sequitur Gonzalez I part. disp. LVIII, ses. III. Secunda sententia est eorum qui putant gratiam cooperantem esse distinctam motionem, seu qualitatem, quae post gratiam operantem, et excitantem determinat ex parte Dei ad consensum liberum, non quoad specificationem, sed quoad exercitium semper supponitur aliqua virtus, quae pertinet ad auxilium sufficiens; illi vero motus indeliberati concurrunt ex parte causae creatae, non autem se habent ut concursus Dei causae universalissimae, ita Thomistae communius. Denique Lorca hic disp. XVIII, existimat gratiam adjuvantem non esse unicum donum, sed coalescere ex pluribus. Primo enim consistit in aliquo habitu, vel qualitate supplente vicem habitus, qua adjuvatur potentiarum infirmitas: secundo, in cogitatione congrua, multum enim nos adjuvat ipsa moralis motio objecti: tertio, in externa protectione Dei tollente impedimenta, et tentationes, et conferente incitamenta ad bonum: quarto, in concursu generali concomitante, et influente in ipsam operationem.

VII. Supponimus pro resolutione

hujus difficultatis, quod gratia, seu auxilium dicitur adjuvans dupliciter, uno modo, in quadam generali, et lata significatione: alio modo specialiter et stricte; generaliter est omne auxilium quod aliquo modo potest conducere ad bonum opus, sive intrinsece, sive antecedenter, sive concomitanter, et sic non est dubium quod sententia patris Lorcæ verissima est, quia in hac acceptione gratia adjuvans, et omne illud quod conducit ad opus, imo in hoc sensu, etiam ipsa gratia operans, adjuvans est. Qua ratione fortasse moti sunt qui non distinxerunt gratiam operantem, seu excitantem ab adjuvante, seu cooperante. Specialiter autem, et stricte sumitur gratia adjuvans, et cooperans prout dividitur a ratione gratiæ operantis, seu excitantis, quæ divisio convenienter sumitur, eo quod Pelagiani gratiam adjuvantem, prout concomitans est, admiserunt, sed non excitantem physice per interiorum subministrationem Spiritus: dicit enim Augustinus libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. XIX: « Vos autem in bono opere, si putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari. » Et hoc dicebant quidam discipuli Pelagii sic admittentes gratiam Dei, quod homo propria voluntate excitatus in ipso opere divinitus adjuvaretur, quod utique pertinet, ad concursum concomitantem. Necesse ergo fuit distinguere gratiam adjuvantem, seu cooperantem speciali modo ab ipsa gratia excitante. Et saltem constat apud omnes diversa esse officia, et effectus gratiæ excitantis, et adjuvantis, cum gratia excitans præbeat ipsam inchoationem, et ordinem totius conversionis nostræ, ut inquit Concilium Tridentinum sessione VI, cap. V. Officium autem adju-

vantis, et cooperantis gratiæ est inceptum opus conversionis promovere, et adjuvare, eliciendo liberum consensum cum ipsa voluntate. Reducitur ergo tota difficultas ad duo. Primum, an ista diversa officia, etiam distinctas gratias, seu dona postulent: secundum, an quælibet illarum sit aliqua motio, vel qualitas a Deo proveniens et ipsi potentiæ impressa antecedenter ad actum liberum; an vero sit ipse actus indeliberatus concurrens et derivans ex se liberum, vel saltem sit ipse concursus Dei concomitans, et identificatus cum actu.

VIII. Dico primo: Gratia cooperans, et adjuvans prout in præsentibus sumitur, ut dividens gratiam actualem, nullo modo est habitus, seu qualitas supplens habitum, et tantum determinans potentiam ad speciem actus, quod facit habitus, sed determinans ad exercitium actus, quod facit auxilium. Hæc conclusio sumitur expresse ex D. Thoma in hac quæstione, articulo secundo, adjunctis his quæ tradit quæstione, præcedenti articulo secundo dividit enim S. Thomas generaliter gratiam actualem prout est motio Dei contra habituales, quæ est habitus infusus a Deo, et illam actualem quæ est motio conditio distincta contra habituales dividit in operantem, et cooperantem; ergo loquendo de ista divisione non potest dici quod gratia cooperans sit habitus, si quidem habet pro diviso gratiam actualem prout distinguitur ab habituali, nec ista conclusio indiget alia probatione, nam divisum hujus divisionis est duplex, scilicet gratia habitualis, et actualis: quando dividitur gratia habitualis in operantem, et cooperantem, dividitur idem habitus penes diversa officia; ergo quando dividitur gratia actualis in operantem, et cooperantem, gratia cooperans non potest esse habitus, si qui-

dem continetur sub gratia actuali, tamquam sub diviso.

IX. Dico secundo: Non potest gratia operans esse eadem quæ cooperans, solo diverso modo considerata. Hæc conclusio est contra patrem Vazquez, sed late probatur a patre Lorca ubi supra, qui addit non nisi ex crassa oblivione potuisse revocari gratiam adjuvantem ad solam sanctam cogitationem, cum etiam Pelagius admitteret, quod per sanctam cogitationem adjuvat Deus nostrum velle, quod tamen tamquam insufficientis rejicit Augustinus ut potest videri libro de gratia Christi, cap. VII, et X, et XXIV, et XXVI, ut ostendimus in præcedenti articulo et ex dictis ibidem aperte refutatur hæc sententia, quia cogitatio non aliter movet, et cooperatur ad consensum liberum, nisi proponendo objectum, cujus convenientiam, et bonitatem sequatur voluntas; ergo si gratia adjuvans, seu cooperans non distinguitur a sancta cogitatione quæ est gratia operans, communiter omnes vires quibus gratia nos adjuvat consistunt in ipsa cognitione, seu cogitatione proponente objectum, sed totum quod pertinet ad cognitionem, et propositionem objecti non exiit rationem doctrinæ, et revelationis; ergo tota ratio gratiæ adjuvantis consistit in doctrina, si consistit in sancta cogitatione. Minor probatur, quia ut dicit Augustinus libro de gratia Christi, cap. X: « Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur; ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est; » ergo omnis suasio boni non excedit lineam, et rationem doctrinæ, cogitatio autem non alio modo influit, et cooperatur in liberum consensum, nisi suadendo, et alliciendo, quia non operatur nisi medio objecto cogitato, et proposito, quod utique non habet alias vires, quam suadendi, et

alliciendi; ergo si gratia operans, et adjuvans reducitur ad sanctam cogitationem quatenus permanendo in nobis efficit nobiscum consensum liberum, omnis gratia adjuvans reducitur ad suasionem, et alliciendam objecti cogitati. Sed omnis suasio boni pertinet ad doctrinam secundum Augustinum: ergo omnis gratia Dei tam excitans quam adjuvans consistit in doctrina, quam propositionem tamquam damnatam in Pelagio execratur Augustinus.

X. Dices gratiam illam non esse cooperantem quatenus præcise cogitatio est, sed quatenus habet adjunctum affectum voluntatis ex cogitatione ortum, et quatenus datur a Deo in tali occasione, qua prævidetur voluntas consensura; sed hoc jam refutatum est præcedenti articulo, quia totus iste affectus reducitur, et originatur ex ipsa cogitatione, nec alias vires, et influxum ponit ad illum, quam ipsas vires cogitationis. At Pelagius fatebatur bonum affectum voluntatis ortum ex sancta cogitatione, ut patet in libro de gratia Christi, cap. X, in illis verbis Pelagii: « Operatur nobis velle quod bonum est, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est; » ergo tam illustratio intellectus, quam suscitatio voluntatis ex illa orta ponebatur a Pelagio, et consequenter non negabat sanctam cogitationem ut excitativa est voluntatis: neque enim suasio boni, et revelatio sapientiæ fit nisi per cogitationem, et hanc dicebat suscitare stupentem voluntatem. Quod vero detur cogitatio in occasione qua prævidetur consensura voluntas, hoc non explicat vires gratiæ, sed casualem proportionem voluntatis ut in tali occasione consentiat, unde vel gratia dat illam occasionem, et coapta-

tionem voluntatis, vel non: si dat illam; ergo gratia antecedit prævisionem voluntatis consensuræ, si quidem non prævidetur consensus ille, nisi pro tali occasione, neque illa occasio prævidetur, nisi per gratiam a qua datur: si autem gratia non dat, sed præsupponit illam occasionem, et coaptationem voluntatis, ergo præter occasionem gratia non addit nisi cogitationem, et cum occasio non sit a gratia, sed præsupponatur ab illa, sequitur quod a gratia solum sit cogitatio, et consequenter vires gratiæ non sint nisi vires cogitationis, et suasionis, quod totum pertinet ad doctrinam ut dicit Augustinus: stat ergo invicta consequentia illata, quod si gratia Dei consistit in sancta cogitatione ut excitativa est voluntatis, etiam in occasione qua prævidetur consensura non ponitur gratia Dei nisi in doctrina, quod execratur Augustinus.

XI. Dico tertio: Impossibile est quod gratia cooperans formaliter consistat in ipso motu subito, et indeliberato a nostra voluntate elicitio, sed in motione Dei per modum qualitatis, impressæ potentiæ ad eliciendum actum liberum, ad quem actum etiam influit Deus concursu comitanti, sed per hunc influxum non movetur a Deo potentia, sed ipse actus recipit esse. Hæc conclusio quæ communior est inter Thomistas habet primo fundamentum in illa generali doctrina articulo præcedenti tradita, quod nullus effectus causatus a causa creata potest esse ipsa causalitas seu virtus causæ primæ, quæ universalissima est in causando; actus autem indeliberatus est effectus procedens a voluntate creata, cum sit actus vitalis: ergo non potest esse ipsa causalitas, aut virtus causæ universalissimæ, qua influit in causas inferiores; auxilium autem cooperans est vere

auxilium, et influxus quo causa prima influat, et adjuvat causas secundas; ergo non est effectus aliquis procedens a causa secunda.

XII. Habet secundo fundamentum, quia motus ille indeliberatus non est sufficiens ad determinandam voluntatem ut libere, et cum indifferentia operetur, quia motus indeliberatus non habet per se connexionem cum actu libero nisi mediante cogitatione, et propositione objecti indifferentis, implicat enim sequi actum liberum, nisi ad cognitionem, et propositionem objecti cum indifferentia: ipse autem actus indeliberatus neque in se ipso est indifferens, cum indeliberatus, et naturalis sit; neque cogitatio prima ex qua talis actus secutus fuit, indifferens est, sed necessaria, et naturalis; ergo ut sequatur actus liber necesse est quod post actum indeliberatum firmetur in intellectu nova cogitatio, et propositio objecti cum indifferentia, ad quam proxime sequatur actus liber; ergo jam actus indeliberatus neque est immediate cooperans actui libero, neque connexionem per se habet cum illo, sed media nova cogitatione indifferenti, in qua est radix libertatis, et cum ista cogitatio non cooperetur actui libero, nisi morali modo, et ut proponens objectum, consequenter totus concusus auxilii cooperantis, developitur in cogitationem. Quæ est sententia Vazquez impugnata.

XIII. Habet tertio fundamentum, quia stat bene actum indeliberatum dari, et non sequi consensum liberum, et e contra dari consensum liberum sine hoc quod præcedat actus indeliberatus, ergo nullo modo est auxilium cooperans, præsertim efficax, quia auxilium efficax ex sua natura est connexum cum effectu, ut dicemus in sequenti disputatione. Antecedens quoad secundam partem manifeste constat in Ange-

lis, et in Christo Domino, qui primum actum habuerunt liberum, utpote meritorium, et sic non inceperunt ab actu indeliberato: et tamen habuerunt auxilium cooperans. Quoad primam vero partem constat ipsa experientia sæpissime dari in nobis istos motus, et inspirationes, quas tamen rejicimus, et non sequitur ad illas consensus liber, inquiri ergo, quando tales motus indeliberati efficaces sunt respectu actus liberi, quid habeant distinctum ab eisdem motibus quando efficaces non sunt. Vel enim aliquid intrinsecum illis superadditur præter naturam motus indeliberati ut efficaces reddantur, vel non; si primum, in illo intrinseco quod recipiunt consistet ratio gratiæ cooperantis efficaciter: nec potest assignari quid sit, nisi aliqua motio divina, et easdem difficultates patitur hoc intrinsecum quidquid illud sit, in ordine ad libertatem non lædendam, quam physica illa qualitas: si secundum, ergo gratia efficax non distinguitur ab inefficaci per aliquid intrinsecum, quod isti auctores in doctrina S. Augustini, et D. Thomæ renuunt confiteri, et coguntur reducere infallibilitatem auxilii efficacis ad extrinsecam providentiam, vel præscientiam Dei, quia scilicet datur auxilium, seu motus ille indeliberatus tali occasione et tempore, quo prævidetur eliciendus consensus liber, et sic inciditur in scientiam mediam, ut explicetur infallibilitas auxilii.

XIV. Ultimo habet fundamentum hæc sententia in auctoritate D. Thomæ quæst. III de potentia, art. VII ad septimum dicit: « Quod id quod Deus agit in causa creata quo agit actualiter, est sicut intentio habens esse incompletum, sicut virtus artis in instrumento artificis. » Hoc autem non verificatur de actu indeliberato, quia iste est actus vitalis

elicitus a potentia, non habens esse incompletum, sicut virtus artis in instrumento, sed tam completum, quam alii actus naturales, et necessarii: verificatur autem hoc de motione, seu qualitate per modum transeuntis. Similiter D. Augustinus sæpe explicat efficaciam, et infallibilitatem auxilii per aliquid physicum, et non solum per aliquid morale, ut sequenti disputatione ponderabitur: ista autem operatio physica Dei qua secundum Augustinum operatur intus in corde, non potest consistere in solis motibus indeliberatis secundum ipsum Augustinum: ergo. Minor probatur, quia secundum Augustinum non solum ad ipsam delectationem, quæ est motus indeliberatus, sed etiam ad ipsam dilectionem, quæ est actus liber, requiritur diffusio charitatis, seu auxilii divini distincti ab ipsa delectatione quæ est primus, et subitus motus, ut colligitur ex libro de spiritu, et littera, cap. III, ex quo loco debent explicari alia loca Augustini in quibus videtur totam rationem gratiæ constituere in victrici delectatione: ut autem sit delectatio victrix requiritur aliquod donum Dei, quo ipsa delectatio vincat, ut colligitur ex ipsis verbis Augustini citato loco: « Cum id quod agendum, et quo nitendum est cooperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur, ut autem diligatur charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Ubi nomine charitatis juxta modum loquendi Augustini, non intelligitur ipse habitus charitatis sanctificans, sed charitas auxilians, seu auxilium ad charitatem, ut desumitur ex ipso Augustino libro de gratia Christi, cap. XIII et XXXV, et libro primo contra